



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Rev. Patr. Joannis Laurentii Berti, Ord. Eremit. S.
Augustini, Theologia Historico-Dogmatico-Scholastica,
Seu Libri, De Theologicis Disciplinis**

Berti, Giovanni Lorenzo

Monachii [u.a.], 1749

Caput II. Justini Fides contra Sandium, & Simonem Episcopium defenditur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83642](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83642)

lis etiam Ignatianis dicatur Patri subiectus, missus à Patre, patris minister, & cetera huiusmodi Scripturis congruentia, & à nobis superius explicata. Restat hoc unum: Ignatius comparat Patrem Episcopo, Filium autem Presbytero; quo exemplo utebantur quoque Arianiani, ut constat ex Dialogo I. Athanasii, seu potius Theodoret, de Trinitate Orthodoxa. At exemplum in hoc sensu verum est, quod Filius habet divinitatis substantiam à Patre, quomodo Presbyter ab Episcopo Sacerdotii recipit characterem. Neque mirum est hæreticos abuti Sanctorum exemplis, dum etiam divinarum Scripturarum sensa detorquent.

At dices: In Epist. ad Smyrnæos inquit Ignatius, Christum esse Filium Dei *secundum voluntatem, & potentiam Dei.* Instantia.

Resp. dist. propositionem: Christus est Filius Dei *secundum voluntatem, & potentiam Patris*, quatenus voluntas & potentia sunt principium creaturarum; nego: prout Filius *voluntarie*, & non coacte genitus est, ac procedit à Patre non invito, atque infirmo, sed omnipotente & volente, conc. Quomodo autem Filius dici possit *voluntate* genitus, dictum est supra cap. 10. libri præcedentis. 13. Solutio.

CAPUT II.

Justini Fides contra Sandium, & Simonem Episcopium defenditur.

SUMMARY.

1. Status questionis.

2. 3. & 4. Probatur, S. Justinum divinitatem æterni Verbi & affirmasse & credidisse.

à num. 5. usque ad 11. Solvuntur oppugnationes.

Suspicio Arianismi à S. Polycarpo ammovetur.

NON moror Polycarpum, quem in suspicionem Arianismi adducit Auctor Irenici. Nugæ sunt enim, quæ contra sanctissimum Martyrem afferuntur, scilicet, quod Patrem antonomastice *Deum* appellaverit, Filium vero *sempiternum Sacerdotem*. Nam & Pater *Deus* dicitur titulo quodam speciali, quoniam fons est, & origo divinitatis; & Filius *Sacerdos* est ratione humanitatis, & *sempiternus* propter divinam naturam. Egregiam autem Polycarpi fidem contestatur ejus ad Philippenses Epistola, & oratio, quam morti proximus protulit; de qua lib. H. E. IV. 5. Eusebius. Utrobique enim Patri, Filioque æqualem gloriam attribuit. Sed & Epistolarum ignatii assiduam commendavit lectionem; & discipulum habuit Irenæum, qui ex Apostolici viri antilogia vigentes ætate sua hæreses refutavit, ut ipsemet affirmat in Epistola ad Florinum. Quare & Ignatius Filii divinitatem docuit Polycarpum, & iste Irenæum.

1. Quid de S. Justino M. sentiendum.

Agendum est ergo de Justino Martyre præclarissimo, quem Cl. Petavius scribit in 1. de Trin. cap. 3. num. 2. putasse Filium *inferioris cujusdam conditionis, etiam antequam homo fieret*; novi autem Ariani in suas partes fidenter trahunt; & Episcopus lib. Theologicarum Instit. IV. ipsius auctoritate probare

nititur, ei, qui supremam Filii divinitatem præfracte negaret, dicendum non esse *anathema*. Petavius tamen in Præf. ejusdem Operis cap. III. fatetur in scriptis Justini reperiri divinitatis Christi non leviter impressa vestigia: ideoque hac præfatione posterius edita priorem sententiam temperavit. Sunt vero germana Justini Scripta, unde causa judicanda est, duplex pro Christianis Apologia; quarum secunda, ut animadvertit Valesius, & fatentur omnes ferme eruditi, revera est prima: Dialogus habitus cum Tryphone; & nonnulla alia, quæ perierunt. Nam Orationem ad Græcos Paræneticam quamplures in dubium revocant, quod in ea Justinus non ex paganis, sed ex fidelibus se affirmet esse progenitum; atque scripta reliqua, quæ sub ejus nomine circumferuntur, supposita unanimiter censentur à Criticis.

PROPOSITIO: S. Justinus liquido divinitatem æterni Verbi & affirmavit, & credidit.

Et quidem; in Apologia, quæ prima dicitur, Justinus tribuit disertissime Filio æternitatem: Porro *Filius ejus*, inquit, *qui solus proprie dicitur filius, Verbum simul cum illo ante creaturas existens & nascens, quoniam primitus per eum cuncta condidit, & ornavit.* Quæ verba jugulant hæresim nefariam Arii.

2. S. Justinus Divinitatem æterni verbi affirmavit.

Arii. Si enim Verbum æternum est, universamque creaturam præcedit, non est profecto creatum. in dialogo autem cum Tryphone docet genitum esse à Patre ante creaturas omnes non per naturæ abscissionem, quomodo generatio humana contingit, sed ejusdem participatione naturæ, allata comparatione ignis, ex quo nullatenus imminuto alter accenditur. *Primitus, inquit, ante creaturas omnes Deum genuisse ex se Virtutem quamdam rationalem. . . non per resectionem, tanquam dispersita esset Patris essentia, prout alia omnia divisa & secta, &c.* In Apologia quoque, ut dicunt, secunda probat nos plurimum Deorum expertes, quoniam non dæmones, ut cultores simulacrorum, sed unum Deum Patrem, & Filium ac Spiritum Sanctum adoramus. *Fatemur, ait, nos talium Deorum esse expertes, & atheos: sed non verissime illius Dei Patris videlicet justitiæ, & castitatis, & virtutum aliarum, & ab omnis vitii mixtione, & labe alieni, expertes; verum hunc ipsum, & qui ab eo venit, (atque nos ista, & aliorum famulantium, assimulorumque bonorum angelorum exercitum docuit) Filium, & Spiritum Sanctum colimus, & adoramus.*

3.
Defensio
Bellarmini.

Hoc testimonio utitur Bellarminus ad probandum licitam esse adorationem Angelorum; eumque reprehendunt Scultetus, Bullus, & Clericus; quod validissimum contra Arianos argumentum penitus tollat; quippe si ex Christi adoratione ejus comprobatur divinitas, sequeretur etiam Angelos Deos esse. At inepta prorsus consecutio; de Filio enim inquit Justinus coli & adorari cum Patre, & Spiritu Sancto, & tamen nos esse plurimum divinitatum expertes; quod non esset consequens, si Filius Deus esset ordinis inferioris à Patre. Contra Angeli dicuntur hoc loco famuli; ideoque adorantur quidem, sed non cum Patre, Filio, & Spiritu Sancto, id est *dulie* cultu, non *latriæ*, qui est nota divinitatis. Quod pro defensione Bellarmini dictum sit. Credo tamen Justinum de Angelorum cultu minime istic fuisse locutum, contra quem sentit Bellarminus; & sensum obvium esse, nos unum Deum colere, cujus revelatione ac doctrina idolatriam, ac malorum angelorum superstitiosum cultum, & bonorum officia & magisterium didicimus. Quamquam enim Angeli religiose coluntur; Justinus disputat de unius Dei, ac trium divinarum Personarum adoratione: neque opus erat hic cultus angelici meminisse; neque Filio ac Spiritui Sancto

simulantes prætulisset Angelos. Verum hæc obiter dicta sint.

Nunc ita ratiocinari præstat. Catholicorum sententia est, Verbum non esse productum, creatumque, sed æternum, & ante quaslibet creaturas à Patre nascentis: genitum non paternæ abscissionem substantiæ, sed ejusdem communicatione naturæ; eodem latriæ cultu esse cum Patre, ac Spiritu Sancto adorandum. Martyr Justinus hæc omnia liquidissime profitetur. Veram ergo tenet Catholicorum de Verbi divinitate sententiam.

Opp. 1. Ex Petavio: Justinus in Dialogo cum Tryphone non semel appellat Filium Patre inferiorem, & Dei administrum, in secundo loco habendum, ac Potestatem post Parentem. Docet quoque Filium Moyse, ac Prophetis apparuisse, cum Deus invisibilis sit, hominumque subterfugiat intuitum. Vide tom II. de Theolog. Dogmat. cap. 3.

Resp. à Justino Filium dici inferiorem Patre, etiam priusquam naturam humanam assumeret, quoniam ab illo genitus est; inferiorem scilicet nomine, & ordine, ac propter rationem *Geniti*. Ita enim loquuntur cum Justino Alexander Præsul Alexandria, qui primus in Arium infurrexit, PP. Sardicenses in Epist. Synodica, Athanasius libro contra Arianos 2. alique plurimi apud Petavium ipsum lib. II. cap. 2. num. 2. & 3. Filius autem solus dicitur à Justino in Lege veteri apparuisse, non quod is naturam invisibilem, & incircumscriptam non habeat, qualis in Patre est, sed quia ad ipsum pertinebat legis dispensatio, hominumque redemptio: quare ipse, & nunquam Pater, visibilem formam induit, in qua se redderet aspectabilem. Enimvero illum, qui olim apparuit, Deum verum fuisse in eodem Dialogo Justinus demonstrat ex Scripturis; quas expendimus præcedenti libro cap. VII. ad 3.

Opp. 2. cum Sandio: Justinus in Quæst. & RR. ad Græcos docet genitum, & conditum non differre: & in Eversione dogmatum Arist. ait, *fuisse aliquando cum non fuerit id, quod genitum est.* Est illud Arianæ perfidiæ repetitum prologium. Adde comparationes ex igne, & humano verbo deductas, quibus Filii declarat generationem, Arianorum explicandæ blasphemiae percommotas.

Resp. Spreta conscientia id obijcere Sandium: quandoquidem Justino uterque liber supponitur, etiam auctore ipsomet Sandio. Nam primum, cum data opera Manichæorum impugnet hæresim & Manetis mentionem faciat plurquam

4.
Probatio.

5.
Objectio 1.
ex Petavio.

6.
Responsio.

7.
Objectio 2.

8.
Solutio.

quam seculo posterioris, jure Sylburgius, Posselinus, N. Alexander, & Rivetus quoque cum aliis Criticis spurium habent. Alter vero, qui inscribitur, *Aristotelicorum quorundam dogmatum ever- sio*, nequit esse, quem Justinum scripsisse testatur Photius in Bibliotheca: nam hic primum duntaxat & secundum li- brum Physices oppugnabat; & ille mul- to prolixior usque ad VII. Physicorum persequitur. Quamobrem falluntur, qui hujus animadversionibus tam hos- tiliter in Aristotelis Philosophiam debac- chantur. Sed gratis utroque recepto, de mundo accipienda sunt loca, quæ obijciuntur; nam Græci proprietate sermonis promiscue dicitur mundus *γεν- νητός, καὶ συμπεφυγμένος, genitus, & factus*. Præfatis denique exemplis ostenditur Verbi generationem spirituales esse, neque illa substantiam imminui pater- nam: quod iisdem symbolis præstitit eti- am Athanasius in lib. de Decretis Nic. pag. 410. & S. P. Aug. Tract. XIV. in Joan.

9.
Obiectio 3.

Oppones ultimo cum Episcopo. In- quit Justinus in Dialogo cum Trypho- ne probari ex scripturis Jesum Nazara- num esse Christum Dei, idque certa fide tenendum esse, tamen non constaret hunc esse Deum conditorem universita- tis. Non ergo credidit Justinus divini- tatem Verbi adeo certam esse, ut sit ar- ticulus Fidei, qualis est Redemptoris ad- ventus.

10.
Solutio

Resp. Justinum in hoc Dialogo pluri- bus argumentis Verbi præexistentiam, ac divinitatem probare, deinde ejusdem Verbi Incarnationem. Quoniam vero Trypho, qui hanc negabat dicens non-

dum advenisse Messiam, respondit esse prorsus incredibile, quod nascatur in tempore Verbum æternum, & ante sæ- cula genitum; Justinus recte instat, fru- stra à Judæis denegari hac de causa ad- ventum Messiae; quia ipsi non credunt futurum esse ipsum Deum, sed purum hominem. Quapropter in hac Hebræo- rum hypothese, etiam si falsa esset, nec satis demonstraretur Verbi divinitas; constaret tamen ex impletis Prophe- tarum oraculis jam Christum venisse. Ita- que distingo ant. Et Justinus arguit in falsa Tryphonis hypothese, conc. Abso- lute negat Verbum ante Incarnationem extitisse, nego. Imo id luculentissime probat, & asserit se non assentiri qui- busdam illius ætatis hæreticis, genere quidem Christianis, dogmate autem Ju- dæis: *Sunt enim, inquit, nonnulli ex ge- nere nostro (Ebionitæ) consentientes ipsum esse Christum, sed hominem ex hominibus genitum esse affirmant, quibus ego mini- me assentior.*

Zuikerus reponit Justinum Platonicæ Philosophiæ rudimentis fuisse deceptum, nec prorsus ab eo Gentilismi oblitera- tam esse memoriam. Verum cum in citato Dialago Justinus Platonicis, Eth- nicisque omnibus præferat Prophetas & Christi amicos, suamque, priusquam di- vinis imbueretur, scientiam fateatur fu- isse stultitiam, nec non in suis Apologiis plurimum Deorum cultum invictissimis ar- gumentis insectetur; non immerito Ge- orgius Bullus Anglicanus circa finem libri de necessitate credendi in Verbi divinitatem, Zuikeri causas *ab infelici ingenio asserit excogitatas.*

11.
Instantia
Zuikeri sol-
vitur.

C A P U T III.

De Athenagoræ Philosophi præstantissimi ad M. A. Anto-
ninum, & L. A. Commodum pro Christianis
Apologia.

S U M M A R I U M.

1. Ostenditur Athenagoram nec Arianis, nec Sabellianis Favisse.

2. 3. & 3. Solvuntur objectiones.

De Athena-
goræ Apo-
logia.

CELEBERRIMAM Athenagoræ Apologi-
am, quam cum Pagio in Præfat.
hujus Libri scriptam diximus anno
166, Labbeus vero editam censet inter
annum 165. & 170. & Baronius tan-
tummodo 179. in qua acerrimi vir in-
genii trium flagitiorum de Religione
Christiana dispellit rumorem, Atheismi,
cœnæ Thyestæ, & Oedipodei, id est,
de abdicato Deorum cultu, de carnis
R.P. Berti Theol. Tom. II.

humanæ esu, & de promiscuo incestus
concubitu; Apologiam, inquam, illam
Epiphanius, Methodius, & in Codice
ccxxiv. Photius commemorant; neque
sanæ mentis est homo, qui censet adul-
terinam. Hanc ergo, cum vir quidam
eruditus à Sabelliano dogmate haud
multum existimet abhorre, neque as-
serere Verbum Patri coæternum, ejus-
demque substantiæ; operæ pretium est,
ut